

Et ad L. Fulvium Consulem Arpini, & Lucani, & Volscenies, traditis præsiidiis Hannibalis, quæ in urbibus habebant, dederunt se, clementerque a Consule, cum verborum tantum castigatione, ob errorem præteritum, accepti. Brutiis similis spes veniæ facta est, cum ab iis Urbibus & Partius, fratres, longe nobilissimæ gentis ejas, eandem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditiois petentes, missi essent.

Cur igitur Livio, Scriptori Gellio antiquiori, ac in primis Romanarum rerum peritissimo, ignota pœna, qua Gellius Brutios asserit a Romanis fuisse notatos? Si pœnâ illâ vere in Brutios fuisset animadversum, Livius, aut ignorasset, aut tacuisset? Et si Livius tacuit, quare differit Gellius? Non ergo credendum est Gellio, quod Scriptores, illo antiquiores, ac veraciores, non enarrarunt; & asserendum absque formidine, aut Gellium fuisse ab aliis deceptum, ut illa scriberet, aut scribendo illa alios decipere voluisse.

Nec nos fugiunt, quæ Livius, in Hannibalis ab Italia discessu, de plurium Brutiorum urbium gentibus enarravit. Ad Cn. Serrilium Consulem, qui in Brutiis erat, Consentia, Uffugum, Vergæ, Besidia, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Dampetia, multique alii ignobiles populi, senescere punicum bellum cernentes, defecere; leguntur dec. 3. lib. 10. Ex quibus inferunt, Brutios usque ad belli finem Hannibali favisse, & nonnisi quam eo discedente, ad Romanos rediisse. Inepta quidem illatio videtur illis, qui sciunt, pluries urbes illas a Romanis ad Hannibalem, & ab Hannibale ad Romanos, transisse. Adventante quidem Hannibale, timor eas impellebat, ut eidem se traderent; illo vero recedente, fides urgebat, ut Romanis se restituerent. Et quidem non expectarunt punici bel-